

- 928

um; vel labem hujus mali traxisse videatur; vel etiam nimis fervere deprehendatur; evacuandus ac diminuendus est. Et asserit *Horst. l. 3. epist. ac conf. med. S. 4.* frequentiores, & soepius repetas sanguinis evacuationes, in hoc affectu plurimum valere. *VENÆ* sectio verò ut potissimum sanguinis evacuandi remedium, si usus svadeat, præmissio leniente ex secundo membro petendo, in *PLETHORÁ* quidem purá ac magná, commodè in brachij vel dextri, vel sinistri, *JECORARIÁ SPLENICA* aut *MEDIANA*, administratur: quâ peractâ vel etiam in minori plenitudine, eâ ommissa, nihil impedit, quin indicante præsentem, & aliæ tundi possint venæ. Et ex *Galen. præcepto lib. d. cur. rat. per Sanguin. mission. c. 14.* plurimi practico- rum, in tali casu *SALVATELLÆ* sinistrae manus sectionem multum commendant. Quam & *Petr. For. l. 10. observ. 19.* magno com- modo in melancholiâ hypochondriacâ sæpè incisam testatur; & *Petr. Ba jer. s. 2. d. cur. corp. hum. mal. c. 13,* sectionem ejus commodam maximè in hoc asserit affectu; uti & *Joan. M. castellan. in phylactir. pblebotom.* Cum primis verò *Adrian. Spigel. l. 5 d. hum. corpor. fabr. c. 7.* singularibus eam effert laudibus, rationemque se hujus rei fir- mam satis invenisse dicit: ἀνασώωσι nimirum venæ hujus cum plurimis arteriis, cujus beneficio, melius sanguis è Liene educatur, quam ullius venæ apertione. Quam quidem rationem *Senn. para- lipom. ad inst. 3.* in quo prolixè de hujus venæ sectione disserit, etiam aliquo modo stare posse concedit, eam tamen non omnem exime- re scrupulum, simul ibid. affirmat. Crurum quoque venæ, ut mal- leoli, aut poplitis, juxta eund. *Senn.* in hoc affectu magnâ cum utili- tate aperiri possunt, cum humor melancholicus, utpote gravis na- turâ, semper ad inferiora descendere soleat. De *PRÆPARATIONE* verò ad *V. S.* ac *ijs*, quæ in ipsâ sanguinis emissionem observanda sunt, videatur *Joan. Jessen. & Jess. in judic. d. sangv. V. S. dimisso*, & jam citat. *Castellan.* QUANTUM verò mittendum, ægri natura, ætas, ac aliæ conditiones indicant. Cum enim sanguis vitæ thesaurus, non ni- mis prodigi ejus esse debemus. *HÆMORRHOIDUM* fluxus, juxta *Hippocr. apb. 11. s. 5* magnum quoque hoc affectu detentis, affert commodum; præsertim spontaneus si sit: hoc verò si non fiat, arte quoque promoveri ac cieri potest: vel *HIRUDINIBUS* apposis; cujus observat: *Amat. Lusitan. centur. 4. observ. 42.* exhibet, juxtaque docet, quibus remediis nimium inde fluentes, sint cohibendæ; vel

G etiam